



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIII. An matrimonium sit vere Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Vel isthoc testatur, quod Inimici Crucis Christi, Sacramentum Ordinis execrentur, & ament ataxiam, hæreticis cunctis solennem ac perennem.

LUTHERVS *l. de Capt. Baby. Illyricus, Kenn. & c. negant S. Ordinem esse Sacramentum.*

CALVINVS *Infl. 4. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31. agnoscit Ordinationem esse vere Sacramentum: Scilicet explicat, quod alibi duo solum Baptismum & Cœnam asseruerit, velut omnibus communia.*

MELANCH. in Locis primò editis duo Sacra assignauit: At in secundo editis anno 36. 52. 58. adiecit Ordinationem vt verum Sacra. ac fensè probat. Sic & in *Apolog. Conf. Aug. art. 13.*

Sed quatenus accipitur pro Ordinatione Ministrorum: non autem pro Sacerdotio. & c.

PAPISTA. Ordinatio est propriè dictum Sacramentum; habens in Scriptura Riturum, Mandatum, Promissum. Vide in *Antichristo* p. 3. q. 42. Habens Traditionem perpetem Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Theologorum consensum: Vt nullum vnquam agnorit Ecclesia ministrum altaris, qui Ordinationem ab Episcopo non accepisset orthodoxo. Solis propria hæreticis est Ataxia.

V. DE MATRIMONIO.

QVÆSTIO XXIII.

An Matrimonium sit vere Sacramentum?

HÆRESIARCH. SIMON Magus, Saturninus, Gnostici, Manichæi. & c. à Deo esse Matrimonium negabant; ideoque nec Sacramentum esse. Promiscuam igitur venerem inuehebant. Sic & Tatianus & Encratitæ Adamiani, Priscillianistæ, Apostolici, Albigenses: Testibus S. Patribus.

LUTHERANI item & CALVINIANI, non tollunt Matrimonium; sed negant esse Sacramentum: quod Symbolo seu Ritu careat externo, & Promissione gratiæ. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 107.*

PAPISTA. Esse propriè Sacramentum creditum constat ex & Institutione, & Traditione, in meo *Luthero-c. p. 3. q. 107. & 108.*

Et RATIO suadet. 1. Quia Matrimonium est vnus cum vna, & Insolubile vinculum. *Mat. 10.* Ergo est & Signum sacrum, & Conferens gratiam.

1. *Signum*: quia insolubilitas ea referri alio nequit, nisi in Christi & Ecclesiæ vniõnem: quæ non erat apud gentes aut Iudæos.

Vnde *1. Cor. 7.* ante baptismum matrimonium est solubile.

2. *Gratiam confert*, vt necessariam ad durandum cum vna in eò vinculo indispensabili: in necessarijs autem Deus non deficit: Et *iugum Christi suauis est.*

Deinde Finis Matrim. est Propagatio sobolis cū educatione & Remediū peccati: Vtriq; opus gratia est. *Educationi & Institutioni liberorum piæ*: quia bestia prolificat; at nō instituūt; & infideles instituūt; sed nō ad salutē: hoc Christiani est coniugij: tū vt Ecclesiā augeant; tū vt similitudine Christi & Ecclesiæ respõdeant, iuuandū cūctos ad salutē. Matrim. quā *Remedium* est, eget gratia; quia vsu copulæ accenditur concupiscentia; gratia Dei est ei velut affusa frigida. *Adhæc S. Patres sanctissimis rebus matrimonium compararunt: Idque vnanimi consensu inter VII. Sacramenta numerarunt, ad que huc Græci in responsione ad Conf. Augustanam,*

FF 2

QVÆ.